



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

7 An quæ dicta sunt de beneficiariis intelligi debeant de pensionariis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

aliter diuisiones pro locorum commoditate fuerunt factae, de quibus Gratian. in cap. constitutum. 16. q. 1. & constat ex cap. requisi- sibi. de testament. vbi dicitur, tertia, vel quarta pars ad Episcopos pertinere secundum consuetudinem, & in cap. antiquos. 10. q. 1. ex Concilio Aureliano, media pars eorum, quae offerantur, ex Episcopo continebat. Ex hac igitur varietate factum est, vt ferè in nulla Ecclesia pars pauperibus designata reperitur intacta; sed potius cum aliis partibus permixta. Igitur ante hanc bonorum partitionem omnes affirmant neque Episcopum, neque clericum reddituum habere dominium, praecipue cum satis receptum sit omnes voto paupertatis adstringi, ac proinde quidquid supererit, ex iustitia debebat diuidi, tum pauperibus fabricae, aliisque clericis.

Facta autem diuisione etsi Nauarr. cum aliis q. 2. de redditibus, ferè per totam, contendat beneficiorum non esse dominos, sed dispensationem reddituum, qui sibi applicantur; contrarium omnino dicendum est, esse, inquam verè dominos illius partis, quae sibi pro congrua sustentatione est assignata. Tum quia est illis assignata in praemium, & retributionem iusti laboris impensis, tum quia inutilis esset talis diuisio, si dominium non comparenti Tum quia diuisio rerum communium, & illarum assignatio cuiuslibet facta dominium transfert, iuxta l. 1. C. communia vniuersi- tatis. Diuisionem praediorum (inquit lex) vicem empionis continere placuit. Adde hoc satis colligi ex cap. unico, de clericis non residentibus. lib. 6. & ex Trident. sess. 22. cap. 3. de reformatione, sess. 23. c. 1. de reformat. vbi expressè dicitur: Abentes nullo modo fructus, & proventus faciant suos, neque illorum dominium acquirant. Supponit ergo Concilium interentes facere fructus suos, & dominium acquirere: alia ridicula esset priuatio dominij facta à Concilio, si abentes alias incapaces illi essent. Item sess. 24. c. 1. de reformat. mandat omnibus prouis de beneficiis, curam animarum habentibus, dignitatibus, aut canonicatibus, si dei professionem facere intra duos menses à die adeptae possessionis, alios non facient fructus suos. Item in eodem cap. mandat ne obnutes in cathedralibus, aut collegiatis Ecclesiis canonicatus, dignitates, aut portiones, vltra tres menses absint quolibet anno; alioquin primo anno priuetur, vniuersique dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae, ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit vltis negligentia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit, quae verba lucratum esse, solummodo fecisse fructus, indicant sane comparasse illorum dominium: & ita tenet, latèque defendit Sarmiento 4. part. de redditibus. cap. 1. & sequenti. Soto lib. 10. de iustit. qu. 4. art. 3. Couarruias cap. cum in officij, de testament. num. 3. Valquez de reddit. cap. 1. §. 1. n. 27. Molin. tractat. 2. disp. 243. Egidius de Coninch. disp. 27. dub. 11. num. 185. Valent. disp. 10. quæst. 3. punct. 7. versic. quidquid autem sit de hoc.

Difficultas autem est, an teneatis ex iustitia sub obligatione restituendi, quae tibi, tuaeque congruae sustentationi supersunt, pauperibus exhibere. Stat enim optimè dominium illorum fructuum acquirere posse, & hanc obligationem habere, quia potuit clericis hoc dominium ab Ecclesia concedi sub hoc onere, & obligatione: Hinc ergo oritur ratio dubitandi, posuit enim Ecclesia clericis & Episcopis fructus beneficij concedere in tam ampla magnitudine, quae regulariter praemium, vt mercedem laboris impensae excedat cum hoc onere, & obligatione, vt si ex illis aliquid superfit congruae sustentationi non necessarium, pauperibus impendatur. Ergo credendum est ita factum esse. Tum quia haec dispositio pauperibus fauorabilior erat. Tum quia hoc ratione pars fructuum, quae tibi erat antea applicata, non omnino extringebatur. Tum quia sancti Patres hoc satis indicant, vocantes clericos fures, & latrones; si fructus beneficiorum male expendant, vt videri potest pluribus in textibus, 16. qu. 1. c. 11. quæst. 1. praecipue constat ex cap. praecipuum, cap. ex his, cap. habebat, cap. conuenienter, cap. ordinamus, distinct. 42. cap. glo. 1. 3. amica, 12. quæst. 2. & apud Bernard. epist. 2. c. 42. c. in serm. Ecce nos reliquimus omnia, c. 1010 lib. de considerat. ad Eugen. Tum denique, quia non satis intelligi potest, qua ratione beneficiarij obligati sint iure naturali, & diuino ad hac superflua expendenda in pios vltus, magis quam reliqua alia bona patrimonialia: si enim omnes fructus beneficiorum dantur beneficiario in praemium officij impensae, sic etiam dantur ob Missas, administrationem sacramentorum, praedicationem, &c. aliaque elemosynae specialia. Ergo sicut potest liberè de his acquisitis disponere, poterit etiam de fructibus beneficij, aut vnde constat specialis horum prohibitio? Ergo dicendum est beneficiarios ex iustitia obligari superflua impia opera expendere, & contra facientes ad restitutionem teneri, si aliunde bona habeant, ipsosque sic accipientes non esse in conscientia tutos. sic pluribus relatis defendit Nauarr. cap. vltim. 16. qu. 1. in quæst. 2. monito 7. & alij plures, quos refert, sed non sequitur, Molin. de primogen. lib. 2. c. 10. num. 52. & noster Molin. tractat. 2. de iust. disp. 144. in princ. Couarr. cap. cum in officio, de testament. n. 2.

Nihilominus his temporibus contraria sententia communior est, quamque reputo probabiliorē, cum Couarr. & vtroque Molin. supra, Soto lib. 10. de iustit. quæst. 4. art. 3. c. 4. Francisc. Sarmiento cap. si priuatum, 12. quæstionib. 1. c. capite, nulli, 12. Ferd. de Castro Sum. Mar. Pars. I.

q. 3. & de redditibus, 2. part. cap. 1. c. 2. c. p. 4. cap. 1. Egidius Coninch. disp. 27. dub. 11. num. 185. Lessio lib. 2. cap. 4. dub. 6. num. 43. Valent. 2. 2. disp. 10. quæst. 3. punct. 7. post medium, & alij apud ipsos.

Ratio praecipua est, quia non est imponenda obligatio iustitiae sine manifesto textu, vel ratione: ac nullus est textus, neque efficax ratio hanc obligationem persuadens. Ergo. Et quidem quod nullus sit textus, inde conuincitur, Nam esto in supradictis decretis vocentur clerici profanè expendentes bona, raptores, & homicidæ pauperum, id non conuincit: tum quia per exaggerationem dictum est; tum quia de secularibus auaris id ipsum saepe Patres restantur, vt dicit D. Thomas 2. 2. quæst. 185. artic. 7. ad primum. Quos certum est ex iustitia obligatos non esse superflua expendere: cum autem dicitur in aliis decretis Ecclesiasticis non dominos, sed administratores esse, vt in cap. qui Christi, 12. quæst. 2. c. cap. res Ecclesiae, 12. quæst. 1. vel intelligendum est de bonis ipsius Ecclesiae, vel de redditibus ante diuisionem, vel facta diuisione de redditibus fabricae applicatis, vel denique si de applicatis ipsis clericis intelligatur, dicendum est non esse dominos absolutos, quin habeant strictissimam obligationem misericordiae in pauperes superflua expendendi. Quod autem nulla adsit ratio efficax obligationem iustitiae persuadens, sic proba. Haec enim obligatio oriri debet ex eo quod ij fructus dari sint à fidelibus, vel ab Ecclesia sub hoc onere, & obligatione: nullibi autem constat sic data esse à populo, sed potius constat absolutè esse donata in sustentationem ministri, & vt ipsi Deo famulantur seruentibus, maiorique cum splendore procedent, & apud populum honorabiliores existerent. Adde. Fructus beneficij praecipue consistant in decimis, primitiis, & oblationibus, quae tamen non liberaliter, sed ex debito iustitiae dantur à populo ministris Dei. Ergo in his non potest populus obligationem aliquam iustitiae imponere. Ab Ecclesia autem non constat sub praedicto onere dari esse fructus, imò potius contrarium non leuiter colligitur ex eo quod Ecclesia non recindat donationes profanas, & excessiuas factas à clericis in detrimentum pauperum: si enim pauperes ius iustitiae haberent ad superflua sustentationi ministrorum, non est credendum Ecclesiam permitturam eos saepe ita defraudari. Item possent pauperes clam surripere, si ipsis constaret diuitem non esse erogaturum, & soluentes decimas partem reueruere, vt pauperibus tribuant, illisque indemnes seruent, & denique concederetur pauperibus actio in iudicio contra clericos non erogantes: quae omnia absurda sunt. Non igitur dicendum est, ex iustitia pauperibus superflua deberi.

2. Neque obstant in contrarium adducta: licet enim pauperibus fauorabilior esset applicatio fructuum sub onere pauperibus expendendi quae superflua: ac ministris Ecclesiae est odiosior, quod iustitiae, vt sic applicari non sint: obligatio autem ministrorum ex charitate expendendi superflua beneficiorum non prouenit tam ex donatione, seu modo, quo fructus recipiunt, quam ex statu clericali, quem habent. Hic autem status obligat ipsos bona propria illius, qualia sunt beneficij fructus, in opera pia expendere, non autem obligat eo stricto rigore bona per indultitiam, aut specialem laborem acquisita.

Quod si inquiras, quid factum est de parte illa pauperibus olim assignata, videtur enim permixta cum parte beneficiorum competente, ac proinde teneri beneficiarios illam ex iustitia pauperibus tribuere?

Respondet hoc argumentum probare obligatos esse beneficiarios illam partem pauperibus tribuere, etiam si suam sustentationem superflueret. Deinde dico illam partem Episcopis, clericis, & fabricis esse applicatam, ac proinde obligationem inter omnes aequaliter diuidi. Tertio respondeo cum Soto supra, ex illa parte pauperum hospitalia esse fundata, vel potius ad Principes, & Reges saeculares deuenisse ob Ecclesiae defensionem.

PUNCTUM VII.

An quae dicta sunt de beneficiariis, intelligi debeant de pensionariis.

- 1. Proponuntur varia sententia.
2. Conciliantur iuxta diuersitatem pensionum Ecclesiasticarum, vel saecularium.

1. Negat Valquez opuscul. de elemosyna, cap. 4. sine, num. 22. vbi dicit se nullum vidisse auctorem obligantem pensionarios ex charitate adhuc ad vberiores, vel alias elemosynas, quàm alios saeculares. Licet enim (inquit) bona sint Ecclesiastica, dantur tamen in pensionem propter bonum Ecclesiae, & in ipsorum alimentum, & sustentationem. Status autem pensionarij illas beneficiarios non sit non obligat specialiter. Contrarium defendit, Nauarr. in apolog. quæst. 1. monito 80. c. in opuscul. de spoliis clericorum paragrapho 1. num. 6. c. paragrapho 7. num. 7. vbi pensionarios beneficiatis aequiparat, sed latius id probat tractat. de redditibus, quæst. 1.

quasi. i. monito 32. iis argumentis. Primò, quia hæc obligatio est annexa redditibus beneficiorum. Ergo ad quoscunque transeunt, debent cum hoc onere transire, argum. *cap. litteris de pignoribus, cap. pastoralis de decimis*. Secundò non potest pensionarius ex pensione aliter disponere, quam vult Pontifex, qui concedit solum pro alimentis. Ergo tacite insinuat nolle vt eos prodigant, *cap. i. 42. distinct. 4. §. 1. 44. distinct. 4. glossa penultim. Clement. 2. de officio ordinar. At redditus pensionum est extraordinarius, redditus verò beneficiorum est ordinarius. Si ergo redditus beneficiorum hoc onus habent, non debent pensionem redditus ab illo eximi. Quattò ei qui minus præmij meretur, non debet plus dari, argum. §. 1. *Instituit. de iustitia, & iure, & l. iustitia, ff. eod. rit. minus autem meretur pensionarius, qui non tenetur dicere officium diuinum, neque seruire, quam beneficiatus, qui ad vtrumque Ergo. Quindò sequeretur pensionarium posse pro libito de fructibus pensionis in vita, & in morte disponere tanquam de patrimonio suo, quod est alienum à praxi recepta, & contra constitutionem Pij V. quam refert Nauarr. §. 1. num. 6. & §. 8. vbi aquè eximit ab spoliis beneficiatus, & pensionarios, cuius beneficium; aut pensio tringit dicatorum de camera non excedit, quia non præiunguntur habere spolia, quibus tam tenues redditus sunt concessi.**

2. Dicendum tamen est duplicem esse pensionem ex beneficij fructibus concessam, aliam sæcularem, aliam Ecclesiasticam, vt alijs relatis bene docet Garcia de *benefic. i. part. cap. 1. à n. 1. præcipue à n. 8.* De pensione sæculari procedit opinio Vasquez, ac de pensione Ecclesiastica opinio Nauarr. Ecclesiastica pensio est, quasi quoddam beneficium, illiusque naturam imitatur, ac proinde quidquid obligationis beneficiato imponitur ex fructibus beneficij, imponi etiam debet pensionario; & ita notauit Molin. *tract. 2. de iustit. disp. 145. post princip. ver. ex eadem Bulla.*

## PUNCTVM VIII.

## Quid dicendum sit de beneficiarijs religiosis.

1. Religiosus assumpti ad beneficium sæculare, vel regulare non habent dominium reddituum beneficij, sed penes monasterium est.
2. Religiosus Episcopus eodem modo, ac alij sæculares Episcopi, habet dominium reddituum beneficij secundum plurimum sententiam.
3. Contrarium defenditur.
4. Est satis fundam. n. 2. adductis.
5. Religiosus Episcopus prodigè disponens de Ecclesiasticis redditibus, contra iustitiam peccat, & accipiens ad restitutionem tenetur.

**C**ertum est religiosos assumptos ad aliquod beneficium sæculare, vel regulare, nullum habere dominium reddituum beneficij sed penes monasterium esse, ipsique solum administrationem concedi ad vsus pios, & non aliter. Quocirca si aliquid in profanos insulant, peccabant mortaliter, contra votum paupertatis, tum contra iustitiam, & alienatio facta nulla est. Hoc tamen (inquit Vasquez de *restitut. c. 3. dub. 8.*) intelligendum est de religiosis assumptis ad beneficium sæculare, vel regulare ad nutum amobilem si beneficium sit perpetuum, neque per superiorem religionis amoueri possint, credit verè dominos esse, & eodem modo de redditibus beneficij disponere posse, ac possunt alij clerici sæculares beneficiari. Sed contrarium omnino dicendum est, cum nullus sit textus, neque ratio efficax persuadens eos à voto paupertatis liberos esse, quod ex dicendis de religiosis Episcopis amplius constabit, neque vltius est Doctor, qui eos à paupertatis voto eximat, sed potius dicunt omnes verè manere religiosos, vt videre est apud Sanchez *lib. 6. c. 6. n. 36.*

2. De religiosis ergo ad statum Episcopalem assumptis non desunt Doctores, qui affirmant eodem modo de bonis Ecclesiasticis disponere posse, ac alios Episcopos sæculares, quia illorum habent dominium, & administrationem, sic docent Sorus *lib. 7. de iustit. quæst. 4. art. 2. ad vltim. & lib. vltim. quæst. vltim. art. vltim. col. 4.* Vasquez *l. 2. quæst. 96. art. 4. disp. 165. cap. 6. num. 91. ad finem, & n. 104.* & in opuscul. de *restitut. c. 3. dub. 7.* Michæl Medin. de *sacram. bon. contin. lib. 5. cap. 26.* Angles *floribus, 2. part. quæst.onica, de voto, art. 2. post 3. difficult. dub. 5. Palaz 4. distinct. 38. disput. 2. fol. 384. col. 1. initio.* Gratian. *regul. 310. num. 4.* Mouentur primò, & præcipue ex *cap. statutum, 18. quæst. 1.* vbi dicitur statutum est, & secundum sanctos Patres à Synodo confirmatum est, vt monachus, quem electio canonica à iugo regulæ monasticæ absoluit, & sacra ordinatio de monacho Episcopum fecit, velut legitimus hæres, paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat. In quibus verbis videtur clarè exprimi habere dominium hæreditatis paternæ. Primò, quia dicitur esse legitimus hæres, si autem monasterium, vel Ecclesia acquireret dominium, ipsa, & non ipse legitimus hæres diceretur, sicut dicitur de monacho existente in monasterio. Secundò, quia conceditur potestas vindicandi hæreditatem paternam, non

Ecclesia, sed sibi; vindicare enim, sibi que acquirere proprium est veri domini. *l. in rem actio, ff. de rei vindicac.* Tertio, quia non cogitur paternam hæreditatem vindicare, sed potestatem habere illam vindicandi, ac proinde illam renunciare potest, quod nequaquam fieret, si dominus non esset. Secundò mouentur, quia non apparet apud quem dominium illius hæreditatis exiit, non apud pauperes, tum quia est communitas nimis indeterminata, tum quia non posset in alios vsus Episcopus religiosus expendere. Neque item est apud Ecclesiam vniuersalem, à quo non fuit ipsi applicata. Neque item apud Ecclesiam illam particularem, ad quam assumptus est, aliàs non liceret translatio ad aliam Ecclesiam deferre secum hæreditatem, sicut translatio à monasterio ad Episcopatum non licet deferre secum, quæ in monasterio acquisiuit. Neque obstat obligatum esse Episcopum ea bona relinquere Ecclesie; quia hoc solum probat non habere liberam facultatem disponendi in morte; & meritò, quia cum ratione Ecclesie dominium illorum acquisiuerit, ad ipsam Ecclesiam iustissimum est, vt perueniant. Tertio cum voto paupertatis compati non potest dispositio bonorum perpetua, & inde pendens ab aliquo superiore: at religiosus factus Episcopus habet iure diuino administrationem, & dispositionem bonorum, quæ ab ipso auferri nullatenus potest, nisi in peccatum alicuius grauis delicti. Ergo.

3. Nihilominus recedendum non est à communi sententia, quæ affirmat religiosum factum Episcopum, & obstrictum voto paupertatis manere, & consequenter incapacem dominij proprij, sic tenet diuus Thomas *2. 2. quæstion. 185. art. 8.* ibi Caietan. Valent. *disp. 10. quæst. 3. punct. 8. col. 3.* Couarruias *c. 1. de testament. num. 18.* Molin. de *primogen. lib. 2. cap. 10. num. 28.* Agid. de *Coninch. disp. 27. dub. 11. num. 200.* Thomas Sanchez plurius relatis *lib. 6. in Decalog. cap. 6. num. 8.* Lessius de *iustit. lib. 2. cap. 4. dub. 5. n. 29.* & c. 41. *dub. 11. num. 92.* Nauarr. *comment. 1. de regula, num. 31.* & *comment. 2. num. 17.* & *comment. 3. num. 46.* & *lib. de redditibus Ecclesie, quæst. 1. monito 11. n. 1. & 2. monito 52. num. 1.* Sarmiento de *restitut. 1. part. cap. 1. n. 10.* & in *defens. illius prima part. mon. 11. n. 2.* & 3. & alij.

Probo, quia religiosus factus Episcopus verus religiosus existit, aliàs non obligaretur habitum suæ religionis portare: sed de essentia religionis non solum est votum castitatis, sed etiam paupertatis, & obedientie. *cap. cum ad monasterium, de status monachorum, sine.* Ergo sic factus Episcopus omnia hæc vota tenet. Secundò, quia vota religiosorum in tantum dispensari poterant, quatenus oblatent muneris Episcopali, sed abdicatio dominij non obstat huic muneris concessa libera facultate administrandi redditus Episcopales, ceteraque bona in quolibet decentes vsus. Ergo non est dicendum in voto paupertatis dispensatos esse.

4. Neque obstat in contrarium adducta.

Ad primum desumptum ex *cap. statum*, respondeo religiosum factum Episcopum esse legitimum hæredem, sibi que vindicare hæreditatem non pro se, sed pro sua Ecclesia, sicut existens in monasterio ius successiois habet, & hæreditatem sibi vendicet non pro se, sed pro monasterio, iuxta *l. deo nobis, 56. §. hoc etiam, C. de Episcop. & cleric. vbi cauetur, ne parentes priuent filios religiosos hæreditate sibi obueniente, & subditur. Sin vero vitium voluntatem parentes, neque testamentum, neque alio vitio elogio declarasse monstrati fuerint, omnem parentum substantiam hædes, quibus ab intestato competit, secundum leges nostras sibi defendant, nullo impedimento ex sanctimoniali conuersione generato, siue soli, siue cum alijs ad successione vocantur. Neque ex illis verbis potestatem habeat vindicandi, inferitur non debere de facto vindicare, sed explicatur, quod difficultatem ingereere poterat. Adde, etsi posset non vindicare, sed renunciare, inde non inferitur illius habere dominium, sed plenam, & liberam administrationem.*

Ad secundum dico, dominium illius hæreditatis esse apud Ecclesiam, ad quam assumptus est, sed cum potestate libera transferrendi, dum viuit, in aliam Ecclesiam, & in quodlibet pium opus. In morte autem Ecclesie relinqui debet, non vt liberè Ecclesie donatum, sed vt proprium Ecclesie, vt satis indicant illa verba textus, iuncta glossa, *ad altare ad quod sanctificatur, & intulatur secundum sacros canones restituit.* Verbum enim *restituit*, Ecclesie esse proprium indicat.

Ad tertium nego cum voto paupertatis compati non posse dispositionem liberam perpetuam in vsus pios bonorum Ecclesiasticorum, alias religiosus ad parochiale beneficium assumptus, quo priuari nullatenus possit, nisi ob vrgentem causam, religiosus non esset, cum haberet ius perpetuum disponendi de bonis: quod autem hæc perpetuitas ex iure diuino, vel humano proueniat, impertinens esse videtur.

5. Ex his inferitur religiosum Episcopum prodigè disponentem res Ecclesiasticas, & bona sibi obuenientia contra iustitiam peccare, & accipientem obligatum esse restituere, nisi Ecclesia remittat, quia caret bonorum dominio, & sola administratio ad honestos vsus illi esse concessa, sic Lessius *lib. 2. de iustit. c. 4. dub. 5. n. 19.* Thomas Sanchez *lib. 6. in Decal. c. 6. n. 13.* Coaninch. *disp. 27. dub. 11. à n. 200.*